



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Aqvæ Vitæ, De Fontibvs Salvatoris. hoc est, Doctrina
Evangelica De Meditatione mortis**

Kispenning, Henricus

Antverpiæ, 1583

Sententia iij. Roman. viij. Quis accusabit aduersus electos Dei? lxxij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46214)

exeamur : Pro infinita enim magnificentia sua Deus, in donauit diligentibus se, quod sua dignum est Maie-
 stas, non quod homines mereantur. Quia in dono plus
 magis dantis, quam accipientis consideratur sublimitas:
 & ex eo plus accipitur laudis, cum paruulis magna do-
 na largitur. Qui nostri causa occidi se passus est, ut nos
 data venia, à secunda morte erueret, id est, à pœna in-
 ferni: & surrexit, ut pro letitia triumphi mortis euictæ,
 gratiam nobis iustificationis donaret: ut digni essemus
 filij Dei.

SENTENTIA IIII. Roman. 8.

Qui etiam proprio filio non pepercit, sed pro nobis
 omnibus tradidit illum: quomodo non etiam
 cum illo omnia nobis donauit? Quis accusabit
 aduersus electos Dei? Deus qui iustificat. Quis
 est qui condemnet? Christus Iesus qui mortuus
 est, imò qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei,
 qui etiam interpellat pro nobis.

PARACLESIS.

Pro nobis omnibus tradidit illum, ut ostēderet, quod
 omnes ita diligit, ut dilectissimum sibi filium pro
 singulis traderet. Pro quibus igitur quod super omnia
 est dedit: potest fieri, ut non in illo vniversa donauerit?
 Nihil enim excepit, qui omnium cessit autorem. Nihil
 est igitur quod negari posse nobis vereamur: nihil est,
 quo munificentiæ diuinæ diffidere perseuerantia de-
 reamus: cuius fuit tam diuturna & iugis vbertas,
 ut primò prædestinaret, deinde vocaret: & quos vo-
 cavit, hos & iustificaret: & quos iustificaret, hos
 & clarificaret. Poterit deserere quos tantis benefi-
 cijs suis usque ad præmia profecutus est. Inter
 beneficia Dei, num metuenda sunt aliqua insidia-
 toris

CAPVT

LXXII.

Ambros. lib.
 1. cap. 6. de
 S. Iacob &
 vita beata.

toris insidia? Sed quis audeat accusare, quos electos diuino cernit iudicio? Num Deus pater ipse qui contulit, potest dona sua rescindere: & quos adoptione suscepit, eos à paterni affectus gratia relegare? Sed mortuis, ne iudex seuerior sit. Considera quem iudicem habebas. Nempe Christo dedit Pater omne iudicium. Pateris te ergo ille damnare, quem redemit à morte; pro quo se obtulit: cuius vitam suae mortis mercedem esse cognoscit? Nonne dicit: *Quae utilitas in sanguine meo, si damno quem ipse saluauit?* Deinde consideras iudicem, non consideras Aduocatam? Potest ipse seueriore ferre sententiam qui interpellare non desinit, ut paterna reconciliationis in nos conferatur gratia?

SENTENTIA V. Roman. 14.

In hoc Christus mortuus est, & resurrexit: ut & uiuorum & mortuorum dominetur.

PARACLESIS.

CAPVT LXXIII. **H**oc persuadeas tibi, quòd curam gerat Dominus infirmorum, ut erigantur, consolidenturque. Qui enim sanguinem suum fundere, nec non mori sustinuit, ut nostri dominaretur: quomodo iam nunc nostri non tangeretur sollicitudine, qui serui eius facti sumus?

SENTENTIA VI. 1. Cor. 15.

Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes uiuificabuntur.

PARACLESIS.

CAPVT LXXIIII. **V**ides maximam Iesu Christi D. N. beneficentiam? Peccauit Adam: iustitiam peccando perdidit, mortem inuexit. Christus uero quid? peccatum non fecit: innocentia sua iustitiam reddidit, mortem abstulit, & vitam resurgendo reparauit: denique letitiam sempiternam contulit. Sunt haec bona prorsus inestimabilia.

ita 25